



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 1. De Histris & Istriâ seu Istriâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

## CAPVT III.

*De Populis Gallix Transpadanæ.*

**H**I vulgò populi Gallix Transpadanæ accensentur; *Histri*, *Carni*, *Veneti*, quos aliqui excludunt; alij ab omnibus admissi sunt *Cenomani*, *Euganei*, *Insubres*, *Orobij*, *Lepontij*, *Salassi*, *Libicij*, *Læui*, *Taurini*, & *Segusini*.

§. I. *Descriptio Historica.*NUM. I. *De Histris & Histriâ, seu Istriâ.*

**NOMEN** Histriæ plerique omnes ab Istro flumine deducunt, per quem Argonautæ humeris & machinis Argo nauem suam elatam in Hadriaticum deportarunt: sic *Scyllax*, *Mela* lib. 2. cap. 3. *Plinius* lib. 3. cap. 18. Veriùs *Iustinus* lib. 32. ait dictos esse *Histros* à fluuio ex quo concesserant ad hanc maris oram, quod etiam ait *Isidorus*. Quis porrò fuerit ille fluuius per quem Argonautæ descenderint in Hadriaticum non est facile statuere. Græculi recentiores *Aquilin* vocant, ita *Sozomenus* & *Zosimus*: *Plinius* ait nesciri quo fluuio vsi fuerint lib. 3. cap. 18. sed id contigisse, ait non procul à *Tergeste*: arbitratur *Cluuerius* Argonautas per *Sauum* progressos esse, & *Nauportum*, & ad urbem *Æmonam* *Laubach*, eam ex aquis deduxisse, & in *Timauum* detulisse. Fauet huic opinioni quòd veteres arbitrarentur *Danubium*, seu *Istrum* cuniculis in *Timauum* subire. Sunt igitur *Histri* origine *Colchi*: *Scymnus* tamen eos *Thracas* facit, alij *Celtas* quibus subscribere videtur *Cluuerius*. Vtrum autem dicti sunt *Scenic* *Histriones* ab *Histris* putat *Festus Pompeius*, negat *Liuius* lib. 7. vbi *Histrionum* nomen deducit à *Tuscâ* voce *Hister* quæ *Ludionem* sonat.

**QUALITAS** Histriæ: de eâ *Theodoricus* apud *Cassiod.* lib. 12. epist. 22. ait, *diuino munere grauida, vini, olei, tritici fecunditate gratulatur, & Rauennæ Campania est.* Eius *Oleæ* laudantur etiam apud *Martialem*.

**FINES.** *Arshâ* Fl. *Arshâ* Italix limite, & *Alpium* iugis, quæ nunc *Albia* dicuntur, aut vt habent *Tabulæ nouæ Monti della noua*,